



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Petro Compostellano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè  
substituendis, in perpetuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

nini, à te, frater Archiepiscopi, apud sedem apostolicam permanente nonaginta marabutinorum uncias repereret nomine pupillorum, dilecti filii concanonici vestri ei pro bono pacis quadraginta malachinos per manus dilecti filii Mar. Capellani & Subdiaconi nostri dederunt. Ipse verò coram nobis omni juri renuntiavit quod adversus Compostellanam Ecclesiam pupillis competeteret memoratis. Ne autem quod in præsentia nostra factum est, ulterius in dubium revocetur, præsentes vobis litteras in facta resignationis testimonium duximus concedendas. Datum Laterani II. Idus Iulij.

M A R T . B R A C A R E N .  
Archiepiscopo.

*Epiſt. 138.*  
Data à Rege  
Bracarensi Ec-  
clesiæ decimas  
confimat.

**C**VM à nobis petitur &c. usque ad verbum effectum. Sanè significasti nobis in nostra præsentia constitutus quod cùm carissimus in Christo filius noster Portugaliæ Rex illustris quasdam possessiones dilectis filiis fratribus Militiæ Templi concesserit, receptis ab eis in permutationem duobus castris, scilicet Mugatorio, & Petrasroias, quæ idem fratres habuerant in dioceſi Bracarensi, Rex ipse tertiam partem decimarum quas dicti fratres priùs perceperant in Ecclesiis caſtrorum ipsorum, pietatis intuitu concedi fecit Ecclesiæ Bracarensi. Nos igitur tuis precibus annuentes, decimas ipsas, sicut legitimè concessæ sunt Ecclesiæ Bracarensi, & tu eas justè posſides, & quæ tibi & per te ipsi Bracarensi Ecclesiæ\*, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Datum Laterani III. Idus Iulij.

PETRO COMPOSTELLANO  
Archiepiscopo, ejusque successoribus ca-  
nonice ſubſtruendis, in perpetuum.

*Epiſt. 139.*  
Vt Ecclesia  
Compostella-  
na pothac me-  
tropolitana ha-  
beatur.

**I**N eminenti apostolicae sedis specula disponente Domino constituti &c. usque ad verbum affensu, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis record. Calixti, Anastasi, Alexandri, & Lucij Romanorum Pontificum Compostellan. beati Iacobi Ecclesiam, cuius in ea venerandissimum corpus est positum, apostolicae sedis privilegio communimus, & ob ipsius à Deo electi Apostoli reverentiam archiepiscopalis cathedræ dignitatem, quam opulentissima quon-

dam & famosi nominis Emeritana ci-  
tas, priùs quā peccatis exigentibus ab  
impia Sarracenorum tyrannide poſſide-  
retur, habuisse dignoscitur, præsentis  
scripti pagina in perpetuum confirma-  
mus, statuentes ut eadem Emeritana ci-  
tas, si ad potestatem Christianorum Do-  
mino donante redierit, Episcopum ha-  
beat, qui Compostellano Archiepiscopo  
ficut Metropolitano suo debeat perpe-  
tuò ſubjacere. Omne quoque pontifi-  
calis officij plenitudinem, quam ipsius  
Emeritanæ Ecclesiæ antistites antiquitus  
habuerunt, Compostellanensis Præſul  
Ecclesiæ integrè ſemper obtineat &  
quietè. Suffraganei verò Episcopi Eme-  
ritanensis metropolis, qui per Lusita-  
niam provinciam vel modò ſedes pro-  
prias obtinent vel in futurum per Do-  
mini misericordiam obtinuerint, Salam-  
antinus videlicet, Abulensis, Caurien-  
sis, Civitatensis, Placentinensis, Pacen-  
sis, Oxonobensis, & præterea Lamecen-  
sis, & Egitanensis, nec non Vlixbonensis,  
& Elboensis, ſicut in noſtris ſententijs  
continetur, Compostellano Archiepif-  
copo, cujus confeſratio ad Romanam  
tantum Ecclesiam ſpectat, obedientiam  
& reverentiam tanquam proprio Metro-  
politano prorsus exhibeant. Ipſe autem  
illos confeſcandi, ad ſua Concilia con-  
vocandi, cum ipſis etiam ecclesiatica ne-  
gotia terminandi, & eorum Eccleſias  
diſponendi, auctoritate ſedi apostolica  
liberam omnino habeat facultatem.  
Prohibemus autem ut nulli Canonico-  
rum ejusdem Ecclesiæ beati Iacobi, qui  
ad aliarum Eccleſiarum prælationem af-  
ſumpti ſunt, vel in posterum affumen-  
tur, honorem vel præbendam ſeu cano-  
nicatum in ipſa Eccleſia liceat retinere;  
ſed alia idonea persona in loco ipſius fu-  
brogetur, que ipſi Ecclesiæ deſerviat,  
& ejusdem beneficium ſortiatur. Illum  
etiam censum qui Vota dicitur, quem  
Hispanorum catholicorum Reges ex ſingu-  
lis boum paribus à flumine Pisorga uſ-  
que ad mare occidentale & per totam  
Lusitaniam provinciam atque etiā in  
Toledo & Transſerram annuatim perſol-  
vendum pro ſalute totius terra liberali-  
ter ſtatuunt, eidem Ecclesiæ confir-  
mamus, & omnimodis interdicimus ut  
nulli fas unquam fit eum ipſi Ecclesiæ  
qualibet occaſione ſubtrahere. Obe-  
unte verò te &c. Præterea quacun-  
que poſſeffiones &c. usque ad verbum

vocabulis. Civitatem ipsam Compostellam cum castro suo , cum Ecclesiis & monasteriis infra eam vel ejus territorium constitutis , cum omni jure tam diocesano quam regali , & cum terminis totius episcopatus , videlicet cum archipresbyteratibus de Morracio & de inter ambos pontes de montibus utriusque , de Taberiolis , & de Ciria , de Pilonio , & de insula Laonij , de utroque Coronato , de Dormian . & Superaddo , & Aranga , & monte Iaurino quomodo dividitur , cum Parrega de Pruciis & de Bisauicis , cum tota interjacente dioecesi , à castello sancti Pelagi de Loco usque Transancos , monasteria quoque omnia , & conventuales seu alias Ecclesias infra hostermimos constitutas , cum omni jure parochiali , & que intra regalia beati Iacobi continentur , cum omni seu patronus seu alio jure quod ad Reges pertinet , videlicet monasterium sancti Pelagi de ante altaria , monasterium sancti Martini de Foris , Ecclesiam sancte Mariæ de Sara , monasterium sancte Mariæ de Canogio , monasterium sancti Petri de Foris , monasterium sancti Iusti de Luania , monasterium de Superaddo , de Azivario , de Codeseda , de Mosonzo , de Ciniis , de Monteferro , de Borgondo , de Nogaria , de Solandres , de Calavario , de Siavia , de Rivomalo , de Moriame , de Ozon , de Savarde , de portu Oriji , de Nometi , de Civitio , de Brivis , de Meeis , de Dormian , de Calago , de Podio , de Lerze , de Armentaria , de Harcos , & monasterium sancti Iohannis de Cavea , sancti Christophori , sancti Vereximi , sancti Georgij , sancti Thomæ de Pimario , & sancti Iacobi de Ermello . Præterea regalem capellaniam & cancellariam quam bona memoria Alfonsus illustris Hispaniæ Rex Ecclesiæ vestræ concessit & scripti sui pagina roboravit . Castrum quoque quod vocatur Honestum , & Iriam , cum servis & omnibus appendiciis suis . Castrum quod vocatur Sancta Maria de Lanceata , cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis . Castrum quod vocatur Ciria , cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis . Castrum quod dicitur Citofacta , cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis . Castrum quod dicitur Cathobadi , cum pertinentiis suis . Castrum Daravum , cum villis & Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis . Castrum quod dicitur Luparia , cum Ecclesiis & pertinentiis suis . Territorium quod vocatur Amaea , cum omnibus possessionibus quas ibi habetis . Pistomarcos cum servis & possessionibus quas in eo habetis . Biseatum cum servis quos ibi habetis . Dubriam cum possessionibus quas ibi habetis . Lanias cum pertinentiis suis . Lucrosam cum servis & pertinentiis suis . Montanos cum Ecclesiis & possessionibus quas ibi habetis . Coronatum cum possessionibus quas ibi habetis . Ventosam cum insula de Laonio . Montes quos quandoque Suarius Friolæ à vestrâ Ecclesia tenuit , cum altera medietate integras . Burgum de Ponte veteri , cum pertinentiis suis . Taveiriolas cum Ecclesiis & possessionibus quas ibi habetis . Ripam Vlia cum Ecclesiis & possessionibus quas ibi habetis . Deciam cum possessionibus & Ecclesiis regalibus & omnibus pertinentiis suis . Terram de Superaddo integrum cum pertinentiis suis . In eadem Decia monasterium sancti Laurentij de Carbonario , quod Ecclesiæ Compostellanæ secundum jus patronatus adjudicatum est per sententiam dilecti filij nostri G. S. Angeli Diaconi Cardinalis tunc apostolice sedis Legati . Medietatem Burgi de Faro cum pedagio navium & jure fisci . Villas de Celia in Nemancos , & de Oca in Bregantin . de Leiloio in Seia , de Avegundo , Piaveladegio , Liure , & de Ruiis in Endis , de Tooure in Prucciis , cum cunctis Ecclesiis & pertinentiis suis , & alias Ecclesias seu possessiones quas jure proprietatis extra fines regalium vestrorum per eundem episcopatum habetis . In episcopatu quoque Mindunien . Ecclesiam sancti Laurentij de arbore , cum Castro quod dicitur villa de Maures , & villam Petri cum Ecclesia sua , & Ecclesias de Rivo averso , & sanctæ Eolalia altæ , & de Radigosa , & sanctæ Mariæ de Turre , & sancti Martini de Palatiis , cum omnibus pertinentiis suis . In episcopatu Lucensi villas de Recelli & de Cela . In episcopatu Auriensi , villas de Amarante , de Iouin , & de Vite , & de Villari Regis , & medietatem Souti de Parata . In episcopatu Tudense . castrum quod dicitur de Molis , cum omnibus Ecclesiis intra ipsum contentis , & monasterium de Cela , & villas de Lazorio , Baldranes , Lamala , & Nugaria . In episcopatu Bracaren . villas de Cornelian , cum Ecclesiis suis , & Moaci , & Gandufi , cum montibus , exitibus , & pertinentiis

MARTINO BRACARENSI  
Archiepiscopo.

suis. In valle Carceris, hospitale quod dicitur Anglorum, cum Ecclesia sua, & aliam Ecclesiam quæ ipsi ex eadem parte superjacet, & villas de Tabladelo & de Parata. In episcopatu Astoricen, villas de Cacavell, cum Ecclesia sua, & de Carvallial, & Ecclesiam sancti Iacobi de Requeixo, de Sanabria. In episcopatu Legionen, domos quæ fuerunt Archidiaconi Thomæ. In ipsa civitate villam de Ledigos, cum Ecclesia sua, & partem villæ de Furones, cum omni jure quod habetis in Ecclesia. In ripa Estolare, villam Alexis, & villam Leandri, cum Ecclesias suis; & juxta monasterium sancti Facundi, villam Cerame. In episcopatu Palentin. Ecclesiam sancti Michaëlis de Vallouria, & villam dictam Sauugelo de Raaces, cum pertinentiis suis, & omni jure regali, sicut Alphonsus illustris Castellanorum Rex Ecclesiæ beati Iacobi eam donasse dignoscitur. In episcopatu Ovetensi, in villa Olerxida, omnes Ecclesias, & in Benevento, Ecclesiam sanctæ Mariae de Ventosa. In Asturiis, Ecclesias sancti Iohannis de Cerreda, & villam Armillum, cum hospitali quod est in Strata, cum montibus & omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Zamoren. villas & Ecclesias de Arquelinis & de Arcos, & Ecclesiam sancti Iacobi de Zamora, villas de Paltiis & de Spino & de Aldeola cum Ecclesiis suis. In Episcopatu Salamantin. villam de Munigno, Afnar cum Ecclesiis suis, & villam quæ dicitur Ecla, & villam Biluestre cum jure regali, & Ecclesiam sancti Martini de Ledesma, & alias Ecclesias vel possessiones quas in prædictis episcopatibus habetis. In episcopatu Caurien. Castrum quod dicitur Attalaia Pelagij, videlicet cum terminis suis, & Ecclesiam de Granata, quæ dicitur sancti Iacobi, cum domibus & piscariis & aliis possessionibus quas ibi acquisistis. Ecclesias quoque & possessiones quas in Vasconia & in Italia & in aliis partibus orbis per diversos episcopatus habetis. Decernimus ergo &c. Salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, secundo Idus Iulij, Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno MCXCIX. Pontificatus vero Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

Epist. 142.  
Quod sententiā Portugaliensium Episcopi in causa desmarum condideretur.

C Vm à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, sententiam à venerabili fratre nostro Portugallen. Episcopo & dilecto filio I. Cantore Tuden, à venerabili fratre nostro Tuden. Episcopo delegato in causa quæ inter te & Abbatem de Castro super decimis Brabantia vertebarat, apostolicae sedis auctoritate prolatam, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Augusti.

V N I V E R S I S C H R I S T I  
tam in urbe Metensi quam ejus dioecesis constitutis.

Epist. 143.  
Laici non prædicent, necculta conventiona faciant, nec facerent reprehendant.  
Cap. Cùm ex injuncto. De hereticis.

C Vm ex injuncto nobis apostolatus officio facti simus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, pro universorum salute nos oportet esse sollicitos, ut & malos retrahamus à vitijs, & bonos in virtutibus foveamus. Tunc autem opus est discretione majori, cùm virtus sub specie virtutum occulte subintrant, & angelus Sathanæ se in angelum lucis simulate transformat. Sanè significavit nobis venerabilis frater noster Metensis Episcopus per litteras suas quod tam in dioecesi quam urbe Metensi laicorum & mulierum multitudo non modica tracta quodammodo desiderio scripturarum, evangelia, epistolas Pauli, psalterium, moralia Iob, & plures alios libros sibi fecit in Gallico sermone transferri, translationi hujusmodi adeo libenter, utinam autem & prudenter, intendens, ut secretis conventionibus talia inter se laici & mulieres eructare præsumant, & sibi invicem prædicare: qui etiam aspernantur eorum consortium qui se similibus non immiscent, & à se reputant alienos qui aures & animos talibus non apponunt: quos cùm aliqui parochialium sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationes inducere de scripturis quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidā etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidunt; & cùm ipsis per eos verbum salutis proponitur, se melius habere in libelis suis, & prudentius se posse id eloqui, subinur-